



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**Scientia Salvts, Sive Considerationes Piæ, Præcipuam
Spiritualis Vitæ Materiam complectens**

Laberhittel, Samuel

Ingolstadii, 1660

387. De SS. Philippo & Jacobo. De Via ad domum Dei.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-59837](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-59837)

MEDITATIO CCCLXXXVII.

De SS. Philippo & Iacobo.

De Via ad Domum Dei.

Aspiciam illam ad coelum viam plusquam lacteam, doctrinam & exempla Christi; referta multis, omnis ætatis hominibus præsertim Apostolis. Petam per hanc viam ambulare.

Conf. 1. In Domo Patris mei mansiones multæ sunt. Quales sint illæ mansiones, in quibus Regionibus, inter quos deliciarum agros, totum, quod delectat continentes; aviditati inexplebili cordis humani sufficientissimos; quò confluet tumor omnium affectuum meorum; ubi in Deo satiati stabilientur. O quale solstitium æviternum, ubi dilecto Deo unietur intimè, quasique incorporabitur anima, illic voluptuosa cellaria divinæ charitatis mero inebriantia, apotheca ex aromatibus humanitatis Christi, bellaria ex fructibus Passionis, mirabile pulchrum ex splendoribus Sanctorum, quod Angelica & humana omnis potentia, si conferretur in unam scientiam, nec unico verbo verosimili explicare posset.

Conf. 2. Via ad illas mansiones est, qui dicit; Ego sum via; Dilectus, via docendo,
via

De SS. Philippo & Iacobo. 685

via exemplis præeundo, via patiendo: Nam præ ineffabili labore, quo propter nostram salutem fatigabatur, viam se nominat, nihil enim viâ minâs quietum, nemo eam non premit, quantis oneribus gravatur via, die ac nocte ab obvijs quibusque: & Dominus meus, ut me cælo inferret homini se subjecit, substravitque pedibus ludæ: præterea quas non ærumnas pertulit! jugo meo supposuit humeros suos, meæ fami obtulit carnem suam, siti meæ venas suas porrexit, deliquijs meis substituit spiritum suum, mortique meæ donavit vitam suam.

Conf 3. Quid me felicius, quàm si huic viæ adhæream, quid infelicius, quàm si ab ea digrediar! Petam per merita, & intercessionem sanctorum Apostolorum, & sacratissimæ Eucharistiæ sumptionem incorporari in viam viventem, ut explicat Lyranus ad Hebr. 10. *Initiavit nobis viam viventem. Christus in Sacramento Altaris via vivens offertur, quia ducit ad alteram vitam.*

MEDITATIO CCCLXXXVIII,

De Inventionione S. Crucis.

Septem Mysteria revelata à Christo Nicodemo.

Audiam noctu loquentem Dominum Nicodemo, eumque mira docentem. *Petam eadem assequi.* *Conf.*